diuinitus iussus, alacri animo sese accinxit, neque eum
tetra noctis caligo ab instituto itinere ad mouendum
reuocauit, nec labor ad quietem, nec defatigatio ad som-
num, nec denique itineris asperitas ad impatientiam: po-
stremo via incognita, inclementia variabilis climatis, cae-
teraque, quae facile alios ab incepto cursu retardant,
ea sibi ille ne curanda quidem existimauit. Num
igitur Patientia? at ne Jobo quidem cessit. ille
hostiles insidias ac machinationes sustinuit ab infen-
sissimo Daemone; hic ab eius ministro seuissimo
Herode. Ille à perfida uxore despectus et illusus
atque contemptus: Hic acerbis suspicionum aculeis de
charissima Coniuge deserenda est lancinatus. Ille
iumenta, oues, ac boues perdidit; hic filium dulcissi-
mum, filium diuinum, filium ac suauitate plenissimum
amisit. Fide vero eius quae incomprehensibile
diuinae Incarnationis mysterium semel duntaxat
et quidem obscure, et in somno reuelatum constantissi-
me semper credidit, quanta existimari putatis?
quam omnium Gentium Doctores admodum mirabilem esse
iudicarunt? Alia virtutum ornamenta, quae innume-
ra sunt omitto. satis n. multo verba iam de illius
eximia nobilitate fecisse mihi videor, nunc pauca
de eius incredibili dignitate, quae ex matrimonio